

notant post definitionem concilii Viennensis, de quo modo.

*Prob. 1<sup>o</sup> ex S. Scriptura<sup>2</sup>. Deus, juxta S. Scripturam, docet homines quatuor virtutes cardinales. Dicitur enim, Sap., VIII, 7, de Sapientia æterna: Sobrietatem, id est temperantiam, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, id est fortitudinem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Atqui idem est Deum docere et infundere aliquid; non enim Deus docet, ut homines, solum proponendo objecta, sed infundendo lumen. Unde I Joann., II, 27, dicitur: Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.*

*Prob. 2<sup>o</sup> autoritate Ecclesiæ. Clemens V in concilio Viennensi resolvens quæstionem quam Innocentius III rescribens ad archiepiscopum Arelatensem, cap. Majores, de baptismo, Decretal. lib. III, tit. 42, c. 3, reliquerat indecisam, scilicet: utrum fides, charitas, aliæque virtutes infundantur parvulis in baptismo? sic definit: « Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dietis sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendum. » Per virtutes autem, in hac definitione, intelliguntur non solum theologiæ, sed etiam morales, quia de his etiam procedebat quæstio sub Innocentio III posita, ut patet ex dietis. Ergo.*

*Confirm. ex Catechismo Romano, parte II, c. 2, § 51, ubi dicitur: « Huic additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur. »*

*Prob. 3<sup>o</sup> ratione. 1<sup>o</sup> Homo per virtutes theologicas infusus disponitur, elevatur et rectificatur circa ultimum finem*

<sup>2</sup> 1. Ibid., in arg. *Sed contra.*

supernaturalem<sup>1</sup>. Ergo connaturale est et necesse ut pariter elevetur et rectificetur per virtutes morales infusas circa media assecutiva hujus finis supernaturalis. — Patet consequentia, quia elevatio et rectificatio per virtutes theologicas non est tantum in ordine ad finem supernaturalem secundum se, sed ut assequibilem per media. Finis autem supernaturalis non est assequibilis nisi per media supernaturalia.

2<sup>o</sup> Sicut virtutes distinguuntur, ita et multiplicantur penes objecta formalia. Atqui aliud est abjectum et motivum formale virtutis acquisitæ, aliud infusæ<sup>2</sup>. Ergo. — Prob. min. Objectum et motivum formale virtutis acquisitæ est naturale, infusæ est supernaturale. Sic, v. g., quamvis temperantia acquisita et infusa conveniant in materia, utraque enim est circa delectabilia tactus, non tamen conveniunt in objecto et motivo formali. Equidem utraque quærit medium, sed alia ratione quærit medium temperantia infusa, quam temperantia acquisita: hæc quærit medium secundum regulam rationis humanæ in ordine ad bonum naturæ, sanitatem corporis et liberum usum rationis naturalis; infusa autem quærit medium secundum regulam fidei et rationes legis divinæ in ordine ad finem supernaturalem, quæ ideo sæpe præscribit arcetorem abstinenciam quam regula naturalis. Similiter de aliis virtutibus. Ergo.]

#### ARTICULUS IV

##### *De proprietatibus virtutum.*

[Quatuor virtutum proprietates recenset S. Thomas in proemio quæstionis 64. Prima est, quod consistant in medio; secunda, quod sint inter se connexæ; tertia, quod sint inæquales; quarta, quod durent post hanc vitam.]

1. Ibid., o. — 2. Ibid., a. 4, o.



## § I

*Utrum virtus consistat in medio?*

[Dico 1<sup>o</sup> : Virtus moralis consistit in medio <sup>1</sup>. Unde definitur ab Aristotele, II *Ethic.*, c. 6 « Habitus electivus in medietate existens. »

*Prob.* <sup>2</sup>. Virtus moralis proprie est perfectiva appetitivæ partis animæ circa aliquam determinatam materiam; mensura autem et regula appetitivi motus circa appetibilia est ipsa ratio. Atqui bonum cujuslibet mensurati et regulati consistit in hoc quod conformetur suæ regulæ, non excedens illam, neque ab ea deficiens, sicut bonum in artificiali est quod sit conforme regulis artis: Ergo bonum virtutis moralis consistit in adæquatione ad mensuram rationis, eam non excedens, neque ab ea deficiens: quod est consistere in medio.

Dico 2<sup>o</sup> : Omnis virtus moralis consistit in medio rationis <sup>3</sup>. Sequitur ex præcedenti; medium enim rationis dicitur quod a ratione constituitur in aliqua materia. Atqui, ut modo dicebamus, virtus moralis consistit in medio per conformitatem ad rationem rectam. Ergo.

Contingit autem quod medium, excepta justitia, varietur. In justitia enim est medium rei, quod est fixum, quia comparatur ad res ipsas absolute: v. g., si debeas centum, hoc, nec plus nec minus, reddere debes. Aliæ autem virtutes morales versantur circa passiones internas, in quibus medium non est idem pro omnibus, sed diversum pro qualitate personarum: v. g., in temperantia, quod est medium uni, parum est aut nimium alteri. Cæterum, observandum est quod, etiam in justitia, medium a ratione dependet. Habet quidem ex sua specifica ratione quod sit medium rei, sed habet ex generali ratione virtutis quod sit etiam medium rationi; quia nihil rationi conformius est, quam constituere æqualitatem inter jus et debitum.

1. Hic q. 64, a. 1, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid., a. 2, o.

Dico 3<sup>o</sup> : Virtutes intellectuales consistunt etiam in medio <sup>1</sup>. Ratio est quia verum, quod est earum objectum, mediat inter excessum et defectum: etenim veritas læditur affirmando vel plus quam res habet, vel minus quam habet, aut negando quod habet. Est tamen disparitas, quod medium virtutum intellectualium speculativarum sit medium rei, nimirum conformitas ad rem, independenter a determinatione rationis; medium vero virtutum intellectualium practicarum, ut prudentiæ, sit medium rationis, utpote dependens a ratione determinante.

Dico 4<sup>o</sup> : Virtutes theologicæ per se et ratione objecti non consistunt in medio, bene tamen per accidens et ratione subjecti <sup>2</sup>. Ratio primæ partis, quia non possumus transcendere regulam istarum virtutum; est enim ipse Deus, qui est infinitæ veritatis, bonitatis et potentiæ. Unde, attenta ratione objecti, non possumus nimis amare Deum, aut nimis in ipsum credere et sperare. Attenta tamen ratione subjecti, seu quantum est ex parte nostra, debemus in Deum ferri secundum mensuram conditionis nostræ, non nimio conatu ex quo corpus lædatur, non tempore inopportuno quod aliis necessario debet impendi, ut si quis contemplationi se daret, quando deberet vacare rebus familiæ.]

## § II

*Utrum omnes virtutes morales sint inter se connexæ?*

[Certum est 1<sup>o</sup> omnes virtutes intellectuales non esse inter se connexas; non enim qui habet unam scientiam habet omnes scientias. Certum est 2<sup>o</sup> omnes virtutes theologicæ non esse inter se connexas; amissa enim charitate per peccatum, possunt remanere fides et spes. Unde concilium Trident., sess. vi, can. 28, definivit: « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem...;

1. Ibid., a. 3, o. — 2. Ibid., a. 4, o.



anathema sit. » Certum est 3<sup>o</sup> omnes virtutes morales infusas esse inter se connexas, quia sunt proprietates gratiæ quacum infunduntur, et qua pereunte pereunt.

Potest autem virtus considerari dupliciter, in statu perfecto et in statu imperfecto<sup>1</sup>. Virtus imperfecta est quæ non attingit rationem essentialem habitus, sed est quædam dispositio vel inclinatio ad aliquod bonum, orta aut ex temperamento aut ex assuetudine quorundam actuum imperfectorum; vel, si attingat rationem essentialem habitus habet tamen modum dispositionis, quatenus non satis firmiter inhæret subjecto, nec ipsum constanter in omnibus occurrentibus impedimentis subjicit. Virtutes alterutro modo imperfectas non esse inter se connexas, ultro fatemur. Videmus enim aliquos ex naturali complexione, quæ dicitur bona indoles, vel ex aliqua consuetudine, promptos, v. g., ad opera liberalitatis, qui non sunt prompti ad opera castitatis: et aliunde essentia virtutis est absoluta, non relativa, sicque ad essentiam unius non requiritur necessario altera. Virtus perfecta est, non solum quando est in gradu heroico, sed etiam quando ita firmiter subjectum actuat et perficit, ut illud inclinet ad opus bonum bene et constanter, prompte et facile faciendum in omni eventu et non obstantibus obstaculis et difficultatibus undequaque occurrentibus.

Dico: Virtutes morales acquisitæ in statu perfecto sunt ita inter se connexæ, ut qui una caret, nullam perfecte habeat<sup>2</sup>. Est communis cum S. Thoma, contra Scotistas.

*Prob. 1<sup>o</sup> Ex Patribus*<sup>3</sup>. S. Ambrosius, lib. VI *in Lucam*, ad illa verba: *Beati pauperes spiritu*, dicit: «Connexæ sibi sunt concatenatæque virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur.» S. Augustinus, lib. VI *de Trinit.*, c. 4, n. 6: «Virtutes quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem, ut quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æquales sint et pru-

1. Hic q. 65, a. 1, o. — 2. Ibid. — 3. Ibid., in arg. *Sed contra.*

dentia, et temperantia, et justitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine, sed illum præstare prudentia: sequitur ut hujus fortitudo minus prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quando est illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras.» S. Gregorius, lib. XXII, *Moral.*, c. 1: «Una virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta... quia nec prudentia vera est, quæ justa, temperans et fortis non est; nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa et prudens non est.» Et Tullius ipse dicebat in lib. II *de Tuscul. quæst.*: «Si unam virtutem confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum.»

*Prob. 2<sup>o</sup> ratione*<sup>1</sup>. Non est perfecta virtus sine perfecta prudentia. Atqui non est perfecta prudentia sine comitatu aliarum virtutum. Ergo. — Major est certa, quia prudentia, quoad electiones, est regula virtutis moralis: unde definitur virtus, «habitus electivus prout prudens determinaverit.» Et patet, quia ad rectam electionem non sufficit inclinatio ad debitum finem, quæ habetur per virtutem, sed etiam requiritur quod quis recte eligat ea quæ sunt ad finem; quod habetur per prudentiam, quæ est consiliativa, judicativa et præceptiva eorum quæ sunt ad finem. Hinc tam frequenter videmus eos qui aliqua virtute videntur pollere, puta fortes, magnanimos, liberales, pœnitentes, devotos, etc., defectu prudentiæ male eligere media in ordine ad finem virtutis. — *Prob. itaque minor.* Non est perfecta prudentia, si appetitus non sit perfecte rectificatus circa fines particulares et materias omnium virtutum. Atqui ista rectitudo appetitus circa fines et materias virtutum habetur per ipsas virtutes; proprium enim cujusque virtutis est rectificare appetitum circa finem et materiam propriam: v. g., justitiæ est rectificare voluntatem circa debitum alteri; temperantiæ, rectificare appetitum circa delectabilia tactus; fortitudinis, circa audacias et timores. Ergo. — *Prob. major.* Prudentia est recta ratio agibilibus seu electionum mediorem. Atqui non potest esse

1. Ibid, o.



perfecta et recta ratio agibilium, nisi appetitus sit recte affectus circa fines; pendent enim agibilia seu eligibilia ex recta intentione finium, sicut conclusiones in speculativis pendent ex principiis. Ergo, sicut non potest ratio recte se habere circa conclusiones, nisi recte se habeat circa principia, sic in practicis eadem ratio non potest se habere recte circa agibilia seu eligibilia, nisi appetitus recte se habeat circa fines; quæ rectitudo, ut dictum est, habetur per ipsas virtutes.

Hinc habes, prudentiam et virtutes pendere ab invicem in diverso genere causæ. Prudentia pendet a cæteris virtutibus in genere causæ dispositivæ, quia non potest esse perfectum iudicium prudentiæ, nisi affectus sit bene dispositus circa fines et materias omnium virtutum, quæ rectitudo habetur per ipsas virtutes, ut dictum est. Cæteræ autem virtutes pendent a prudentia in genere causæ directivæ et formalis intrinsecæ, quia prudentia dirigit electionem mediorem ad finem, rescindendo extrema quibus posset corrumpi ejus iudicium et medium virtutis impediri, quæ extrema vagantur per omnia virtutum genera.]

## § III

*Utrum virtutes morales acquisitæ sint necessario connectæ cum charitate?*

[Non est hic quæstio de virtutibus moralibus infusis, quas constat esse a charitate inseparabiles, utpote gratiæ sanctificantis proprietates: neque de virtutibus theologicis; fides enim et spes, juxta Trident., sess. vi, cap. 6, præcedunt in justificatione charitatem, et can. 28 concilium anathemate percutit eos qui dicunt quod, « amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidam. » Agitur ergo nunc tantum de virtutibus moralibus acquisitis. Pro cujus resolutione,

Dico: Possunt esse sine charitate veræ virtutes morales

acquisitæ, sicut fuerunt in multis gentilibus, sed imperfectæ<sup>1</sup>.

*Prob.* prima pars. Virtus moralis acquisita separata a charitate, habet quidquid ad essentiam veræ virtutis pertinet. Ergo.—*Prob.* ant. Si quid essenziale deesset virtuti a charitate separatæ, hoc esset ordo ad finem ultimum supernaturalem. Atqui ordo ad finem ultimum supernaturalem non est quid essenziale virtuti morali acquisitæ: tum quia, ut dicit Angelicus, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 47, a. 6, o, « finis virtutum moralium est bonum humanum, bonum autem humanum animæ est secundum rationem esse: unde necesse est quod fines moralium virtutum præexistent in ratione; » tum quia ordo in finem supernaturalem non potest esse de essentia habitus entitative naturalis, qualis est virtus acquisita. Ergo.

*Confirm.* 1<sup>o</sup> Charitas non est forma intrinseca et essentialis aliarum virtutum, alioquin omnes virtutes essent ejusdem speciei, sed forma extrinseca tantum et accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali. Ergo independentem a charitate sunt veræ virtutes. 2<sup>o</sup> Fides, juxta definitionem Trident., remanet vera virtus sine charitate. Quidni virtutes morales acquisitæ?

*Prob.* secunda pars. Non est perfecta virtus sine perfecta prudentia. Atqui prudentia, etiam acquisita, per peccatum non totaliter destruitur, sed tantum ex parte corrumpitur, quatenus appetitus male afficitur circa finem alicujus virtutis, contra quam scilicet peccatur. Ergo.

*Confirm.* Virtus perfecta facit habentem simpliciter bonum. Talis autem non potest dici peccator.

Hinc inferes, virtutes morales acquisitas, licet sine charitate retineant essentiam virtutis, non esse tamen dicendas simpliciter virtutes, sed secundum quid; quia non bene ordinant hominem respectu ultimi finis simpliciter, sed tantum respectu finis ultimi in aliquo genere, sicque

1. Ibid., a. 2, o, et q. 71, a. 4, o.



non reddunt hominem absolute et simpliciter bonum. Unde virtutes in gentibus non sunt dicendæ virtutes simpliciter, sed secundum essentialem rationem virtutis. Et forte nihil aliud prætendit sententia opposita : unde quæstio videtur quasi de nomine.]

## § IV

*De æqualitate et duratione virtutum.*

[Dico 1<sup>o</sup> : Virtutes intellectuales, simpliciter loquendo, sunt nobiliores moralibus : tum quia perficiunt nobiliorem potentiam, scilicet intellectum ; tum quia habent nobilius objectum, scilicet res in communi abstractas a materia <sup>1</sup>. Inter virtutes morales, prudentia est nobilior, quia est propinquior rationi, in illa enim subjectatur ; deinde iustitia, quæ residet in voluntate ; sequitur fortitudo, ultimo temperantia, quia bonum rationis magis elucet in fortitudine quam in temperantia : fortitudo enim perficit appetitum in his quæ immediate ad vitam et mortem pertinent, temperantia in his quæ mediate tantum ad utramque pertinent, scilicet in cibis et venereis. Majus autem est bonum rationis in his quæ pertinent ad vitam, a qua cætera in homine dependent, quam in cibis et venereis.

Dico 2<sup>o</sup> : Virtutes morales non remanent post hanc vitam quantum ad suum materiale ; quia non erit amplius locus delectationi ciborum et venereorum, neque periculis vitæ, neque commutationibus et distributionibus necessariis ad usum hujus vitæ ; quæ omnia sunt materia circa quam versantur virtutes morales. Remanebunt tamen quantum ad suum formale in patria, quia remanebit appetitus rectificatus et conformis rationi <sup>2</sup>.

Et hæc pauca de passionibus et virtutibus instituto nostro sufficiant. Qui plura scire cupit, legat quæ fusius S. Thomas de his tractat in locis citatis, item de septem donis Spiritus sancti, de octo beatitudinibus et de duodecim fructibus Spiritus sancti, usque ad quæst. 71.]

1. Hic q. 65. — 2. Hic q. 67.

TRACTATUS  
DE PECCATISD. Thomas, I<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, a q. 71 ad 89.

## DISSERTATIO I

## DE NATURA PECCATI

## ARTICULUS I

*Quid sit peccatum?*

Dico <sup>1</sup> : Peccatum recte definitur ab Aug., lib. XXII *contra Faustum*, c. 27 : « Factum, vel dictum, vel concupitum contra æternam legem. »

*Prob.* Illa definitio est bona, quæ explicat materiale et formale definiti ; nam per id utrumque res dignoscitur. Atqui, dum dicitur, *factum, vel dictum, vel concupitum*, explicatur materiale peccati, quod est actus humanus. Dum dicitur, *contra æternam legem*, explicatur formale ; inde enim actus est peccaminosus, quod sit contra legem æternam.

1. Hic q. 71, a, 6, o.